


Ecce Liber Latinus Novus ...

CAPTI: Fabula Menippeo-Hoffmanniana Americana

auctore **Stephano Berard**

prima mythistoria Latina post annum MDCCXLI divulgata!



Hac in fabula, **Heptologiae Sphingis** prima parte, Stephanus Berard varias gentes, multicolores imagines, saturam nunc festivam nunc "suprarealem," "realismum magicum," mythos, philosophiam naturalem, poesis complura genera aliaque multa quasi amplissimum in aulaeo suspenso affabre contextit. Persona principalis est ballator nomine Vudius Fava, vir, quamvis leviter autisticus nihilominus vitae prospere agenda saepe, nec tamen semper, capax, qui ocularibus coloratis chromopticae therapiae causa utitur quo melius mundum suum mente comprehendere valeat. Deam suam quaerens, quam alicubi Seattli diaetam nuper occupasse opinatur, munus ballematicum relinquit, quo se ipsum in paupertatem redigit. Post ambages iniucundas aliquot Vudius tandem e conspectu abit...donec Angelo-poli aliquando iterum dispicitur, medio scilicet in dramate insolitissimo de caedibus vigilibusque.

Hac in mythistoria poetica, cuius bases sunt duae fabulae Ernestii Hoffmann, auctor litterarum genera phantastica et satirica adhibet ut eos modos indaget quibus pleraque viventia seu inlaqueentur seu debilitentur (id enim participium quod est *captus* ambo sibi vult) simul autem inter se coniungantur. (*versa pagina continuabitur*)

Aestimationes laudesque

"The glory of the book is the exuberant language: this is not Cicero's Latin, but more like a post-modern Tacitus, a latter-day Lucan, a spiritual descendant of M. Terentius Varro. ...There are descriptions galore...a long, satirical evocation of Seattle...and a description of LA that would be at home in Hugo or Dickens. ...Its blend of modern form, modern scientific or philosophical motifs, and ancient language is almost *steampunk* in style."

— Anne Mahoney (Tufts), *The Classical Outlook*

"[Capti] is unmistakably magical realism, and should sit nicely on the shelf with the works of Italian writer Italo Calvino or American novelist Thomas Pynchon. ...[Berard] writes poetry that is sharp and wonderfully vivacious."

— Thomas Banks, *Multilingual*

"Hic novus scriptor lingua Latina ita utitur ut vel omnium peritissimi musici, 'virtuosi' dicti, in lectoris animum revocentur. Hoc ingens opus, id quod Cicero quondam de Lucretii carmine, 'multis luminibus ingeni, multae tamen artis' esse dicam. Ei qui Apuleium, illum praecipitis ingenii scriptorem ingeniosarum-que locutionum inventorem, Metamorphoseon sive Asini Aurei conditorem, nullum secundum opus exquisitum nobis praebuisse lamentantur valde gaudebunt opus Professoris Berard, saeculi vicesimi primi Apuleii, cognoscentes."

— Dr. Albert R. Baca, Professor Emeritus, California State University Northridge

"Bone lector, linguam haud semper facilem dum adgredi valeas suffusus eris flumine quasi Felliniano."

— Gaius Licoppe et Francisca Deraedt, *Melissae* editores

"Oratione modo gravi modo faceta utitur hic professor linguae Latinae peritissimus, adeoque fluenti, ut haec fabula, quae etiam vocum sententiarumque varietate singularis est, ad alliciendos legentium animos perapta esse videatur."

— Victorius Ciarrocchi, scriptor Latinus

Product details

AuthorHouse, 2011 Revised edition, 2013

ISBN 978-1456759742

642 pages

Hardcover / paperback on acid-free paper

AuthorHouse, Amazon, Barnes & Noble

Cataracta Publications, 2013

eISBN 978-0-9910049-0-4 Revised edition

ASIN B00HG6NVZ2

eBook, Amazon Kindle edition

Subject keywords

Latin literature, Latin poetry, Goliardic verse, Hexameter, Latin satire, Fantastic & Magic realism, Menippean fable, Milesian tale, Steampunk literature, Murder fiction, Mystery fiction. *In literature:* Autism, Ballet, Chromopathy, Hoffmann, E.T.A., Seattle, Hollywood, Los Angeles, Quantum theory.


Contact information

Cataracta Publications

P.O. Box 3797

Wenatchee, WA 98807-3797 USA

stephanus@boreoccidentales.com



Stephanus A. Berard gradu baccalaureo honestatus est ob studia classica apud Universitatem Californianam Angelopolitanam, magistrali dein ob studia Latina necnon et gradu C.Phil. ob studia classica apud Universitatem Californianam Berkleianam. In Instituto Studiorum Omnium Gentium Montis Regii ("MIIS") magistralem gradum alterum adeptus est ob studia Theodisca (*Südländische Musik im dichterischen Werk E.T.A. Hoffmanns*), atque apud Universitatem Massacusettanam Amherstianam Philosophiae Doctor (Ph.D.) factus est ob philologiam Germanicam (*Infinitive Usage in Biblical Gothic*). Inde ab anno MXMLXXXIX Berard munere professoris linguarum fungitur apud Collegium Vallis Aqualbensis (Wenatchee Valley College) in civitate Vasintoniensi, ubi sermones Hispanicum, Latinum, Theodiscum docet. Conventiculo Vasintoniensi et Septimanae Californianae (uni ex conventiculis SALVIanis) necnon Circulo Seattlensi moderatur. Quo de Stephano Berard huiusque scriptis plura discas, invisas quaesumus **boreoccidentales.com**.

Heptologia Sphingis auctore Stephano Berard

CAPTI: Fabula Menippeo-Hoffmanniana Americana

(de prima pagina continuatur)

Quamquam Stephanus genus quoddam antiquum elegit, "Fabula Menippea" denominatum, multa tamen principia scribendi sumpsit ab ipso Hoffmann, "realismi phantastici" inventore, "realismi magici" nunc vigentis virentisque proavo. In "realismo magico" — cuius notissima exempla praeberunt vel Gabriel Garcia Marquez, Michael Angelus Asturias, Georgius Ludovicus Borges, Richardus Brautigan, Vilelmus Burroughs, Italus Calvino, Carolus Fuentes, Virginia Woolf — ipsa fabula videtur plerumque satis verisimilis, quamvis passim sub narrationis superficie, magia quaedam agi videatur. In genere invicem illo priore et Hoffmanniano, "realismo phantastico" nominando, quod Stephanus hic exercet atque subsequis in fabulis colere perget, narrantur nunc omnino verisimilia nunc admodum phantastica, inter quae saepe ipsius legentis est vincula invenire.

Generibus scribendi antiquis modos cogitandi argumentaque imponit Stephanus admodum moderna. Hexametris hic cum Iuvenale, hic cum Lucano, hic cum Lucretio, hic cum aliis aemulat. Primi capituli in oratione prorsa periodis saepe longis, intortis, passim paulo informibus, vel Apuleianis haud dissimilibus, personarum commotionem confusionemque necnon et hilaritatem quasi Fellinianam repraesentat. Alibi videntur scribendi genera alia. Ipsi versus poetici evolvuntur sensim ex hexametris in numeros medioaevales, deinde in omnino modernos et solutos...id quod protagonistarum mundi commutationem dissolutionemve exprimit simulque Latine doctis nondum in artem poeticam modernam inductis iucundae est doctrinae.

Capitulum Tabula

Ad Lectorem

- 1 Regna Magica: Pars Prima
 - 2 Terra Lignea
 - 3 Regna Magica: Pars Altera
 - 4 Ultra Lucum
 - 5 Iungala Attalica
 - 6 Fabellae Biporcinae Pars Prima sive "Quae Callebat Valtharus"
 - 7 Saltus Alius
 - 8 "A Mind Is a Terrible Thing to Lose"
 - 9 Velum Inlevabile: Pars Prima
 - 10 Velum Inlevabile: Pars Altera
 - 11 Cycna Atra
 - 12 Horti Infernales
 - 13 Fabellae Biporcinae Pars Altera sive "Quae GZ-117 Scire Nequibat"
 - 14 Apocolocyntosis: Pars Prima
 - 15 Urdar
 - 16 Apocolocyntosis: Pars Altera
 - 17 Arcula Obscura: Pars Prima sive "Necropolium"
 - 18 Arcula Obscura: Pars Altera sive "Sekhmet"
 - 19 Arcula Obscura: Pars Tertia sive "Frustula Panis"
 - 20 Avis Ignea
 - 21 Vegeti Mortuique
- Epilogus Hesternus
Epilogus Hodiernus
Epilogus Arcanus
Epilogus Perpetuus
Index Locutionum Novarum Difficiliumque

Heptologia Sphingis nuntium proferet imprimis holismi quantalis. Stephanus Berard per litteras quasi oblectatorias illam notionem scientiam, per physicam quantalem identidem corroboratam, propagare temptat: unam quamque cosmi "partem" simul partem esse et ipsam summam; cosmi omnia inter se rectissima via (quantali sive quantica) esse coniuncta; ea quae "hic" fieri omnibus "locis" ubique simul varieque exprimi; immo, ob inlocalitatem (non-locality) iam saepius probatam, in ipso rerum fundamento "locos separatos" vanas tantum esse species...vel, ut totum visos, hologrammatis virtualis partes cuius informatio nullo "loco" condita. ...Ad quas notiones cum lectoribus communicandas "realismus phantasticus" omnium generum litterariorum Stephano visum est aptissimum.

PRAECURSUS: Fabula Neophysologica (Anno MMXV proditura)

In fabula cui titulus est **Praecursus**, lector animo melius amplecti incipit genus scribendi diffusius in **Capti** fabula visum primos tantum sensus exprimere totius vitae conspectus illius summe holistici secundum quem omnes omniaque, ut in maximis ita et in minimis, inter se recta via coniunguntur...necnon singulorum indoles suique ipsius notio pro mentis tantum fabricationibus nonnihil temerariis vel adeo omnino ficticiis haberi possunt.

Persona praecipua est quidam "praecursor," Tor nomine, quadam a natione potentissimorum entium facticiorum conductus ut modos experiatur quibus animantia biologica proximo in existentiae gradu dimensionali fungi possint in quo exstant quattuor libertatis corporalis cursus ac tempus per quintam dimensionem sentitur. Varias per fabulas variosque per mundos cursum dirigens, nunc vel animo alveario confusus nunc ut hologramma nunc ut hypoprogramma computatorium existens, Tor fluxus quantalis undas navigare...tandemque adeo aliquatenus temperare discit.

EOS: Carmen Methistoricum

Huius libri — qui sicut et **Daemonologia** et **Sphinx** etiam magis poeticus erit quam ceterae heptologiae partes — actio quarto saeculo Communis Aevi magna ex parte in Maris Mediterranei regione orientali fiet. Hic discrimina quaedam inter opinandi rationes occidentalem et orientalem exstantia, praesertim ut has percipit quoddam philosophorum par, tantum poetice quantum phantastice tractabuntur.

DAEMONOLOGIA: Carmen Synaestheticum

Sicut "gurgis ater" gravissimus qui stellas magni galaxiae centrum circumvolantes absorbet, haec fabula magis in poeticum vergens summeque phantasticum in ipsa media heptologia posita argumentum aggrediatur hoc: Vnicus animans quomodonam cosmorum, verorum, deorum, daemoniorum numero infinito superesse potest?

CAELA PONE CAELA: Fabula Cubistica

Fabulae undique, hae cinematographicae, hae pro veris habitae, plurimis e considerandi rationibus segmenta vitae Peggiae Annae Garner tangent. Quae puella vicesimi saeculi annis quadragesimis scenica cinematographica maximi ingenii fuit cuius tamen vita haud pro ingenii meritis evenit.

TANTISPER: Fabula Neoheroica

Curnam demum entia non corporalia planum corporale invisere cupiunt? Quare Anima illa Vniversalis, si exstat, novos mundos fingere ita gestit? Eccui prodest tota haec agitatio? Talia interrogata aggrediatur haec fabula cuius magna pars saeculo decimo sexto in Germania agetur.

SPHINX: Carmen Arcanum

Ecquid rerum natura "res" vere externa est secundum eum sensum quo Franciscus Bacon "philosophiam naturalem," hoc est, mundum naturalem ut a nobis perceptum, "Sphingem" esse scripsit ad nos dilacerandos paratam? Haec fabula valde poetica librabitur inter parabolam spiritalem et carmen metaphysicum, generis fere illorum *Four Quartets* Thomae Eliot, ut quid quisve vere sit Vltima Sphinx illa aperiat.